

tua salus diluet; servatus a me vitam mihi dederis, oro,
 quae soque; amissoque metu patere medicamentum concipi
 venis; laxa paulisper animum, quem intempestiva solicitudine
 amici sane fideles, sed moleste seduli turbant. Non securum
 modo haec vox, sed etiam laetum regem, ac plenum
 bonae spei fecit. Itaque, si dii, inquit, *Philippe*, tibi
 permisissent, quo maxime modo animum velles experiri
 meum, alio profecto voluisses: sed certiore, quam expertus
 es, ne optasses quidem; hac epistola accepta, tamen quod
 dilueras, bibi, et nunc credo, te non minus pro tua fide,
 quam pro mea salute esse sollicitum. Haec eloquutus,
 dextram Philippo offert. Ceterum, tanta vis medicaminis
 fuit, ut quae sequuta sunt, criminacionem Parmenionis
 adjuverint; interclusus spiritus arce meabat. Nec Philippus
 quidquam inexpertum omisit: ille fomenta corpori admovit;
 ille torpentem, nunc cibi, nunc vini odore excitavit. Atque,
 ut primum mentis compotem esse sensit; modo matris sororum
 que, modo tantae victoriae appropinquantis admonere non
 destitit. Ut vero medicamentum se diffudit in venas, et sensim
 toto corpore salubritas percipi potuit; primo animus vigorem
 suum, deinde corpus quoque exspectatione maturius recupe-
 ravit: quippe post tertium diem, quam in hoc statu fuerat,
 in conspectum militum venit. Nec avidius ipsum regem,
 quam Philippum intuebatur exercitus: pro se quisque
 dextram ejus amplexi, grates habebant velut praesenti deo.
 Namque haud facile dictu est, praeter ingenitam illi genti
 erga reges suos venerationem, quantum hujus quoque
 regis vel admirationi dediti fuerint, vel caritate flagraverint.
 Jam primum nihil nisi divina ope aggredi videbatur; nam,
 quum esset praesto ubique fortuna, temeritas in gloriam
 cesserat. Aetas quoque vix tantis matura rebus, sed abunde
 sufficiens, omnia etiam ejus opera honestabat. Et quae
 leviora haber solent, plerumque in re militari gratiiora
 vulgo sunt: exercitatio corporis inter ipsos, cultus habitus-